

prophetæ alii legem Dei hominibus dumtaxat promulgabant, explanabant et inculcabant; sed gratiam ad eam servandam non dabant, neque dare poterant, Christo ergo opus fuit, qui gratiam ad implenda mandata præstaret; quod per ipsum esse præstitum, testatur ejus præcursor Joannes I. dicens: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Hanc vero gratiam confert variis modis, et ad varias functiones in sacramentis. Sine gratiæ auxilio similes sumus languido illi ad piscinam, qui dixit: *Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam*, Joan. V. vers. VII. Christus nobis hujusmodi homo factus est, qui nos in piscinas baptismi et penitentiae immitteret, et in eis persanaret: in aliis sacramentis gratia sua corroboraret.

V. Desideravimus patrem, qui nobis pro altera vita futuri sæculi prospiceret et hæreditatem compararet. Parentes hujus sæculi gignunt et inducunt liberos in vitam hanc miseram et mortalem: in alteram illam beatam et immortalem inducere non possunt. Thesaurizant etiam illis, sed thesauros corruptibiles. Patriarchis illis antiquis eorumque soboli promissa quidem fuit, et tandem collata terra lacte et melle manans. Sed quid erat hoc, lacte et melle affluere ad exiguum vitæ spatium? Patres igitur erant presentis sæculi: de patria futuri sæculi, felicissimi et æterni, providere suis non poterant. En igitur adest nobis *Pater futuri sæculi*, qui in vitam alteram nobis inducat, in eaque beet. Adam genuit nos tempori, Christus æternitati: Adam genuit nos morti, Christus resurrectioni: Adam genuit nos terræ, Christus cælo. Hinc apposite factum, ut Christo nascente describeretur ab Augusto universus orbis, quo aperte monstratur inquit S. Greg. hom. VIII. in evang. *quod ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.*

VI. Desideravimus pacificatorem et liberatorem a compluribus exactoribus et inimicis nostris. Exigebat enim a nobis Dei imprimis justitia pœnas pro peccatis nostris admissis, semper occinens illud: *Redde quod debes*, cui tamen solvendo non eramus, et unum id supererat, ut venumdari juberemur cum omnibus nostris bonis. Vexabat nos ex altera parte dæmon, cujus servituti nos addixeramus; qui et premebat nos velut Pharae fœdis lutu operibus, de peccato impellendo in peccatum; ita ut resistere ei difficilimum foret. Accedebant homines improbi et efferati, qui robore et potentia sua alios debiliores opprimebant, exossabant, occidebant sine causa, sive subditos, sive alienos, quod queritur per Isaiam Deus, c. LII. *Ablatus est populus meus gratis: domatores ejus inique agunt, dicit Dominus, etc.* id quod tam in Ju-

dæis, quam in gentilibus fiebat. Unde subdit Deus: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Denique exagitabantur peccatores a propria conscientia, cum qua continuo quasi bellum gerebant. Itaque venit quem desiderarunt, *Princeps pacis*, qui parietem illum dividens homines a Deo imprimis diruit et sustulit, reconcilians ima summis. Deinde alligavit fortem, qui nos premebat, dæmonem, et vasa ejus tulit, ipsum exarmans, et nobis illud exhibens. Ad hæc edomuit tyrannos et iniquas orbis dominatores, ut christianam edoctimansuetudinem dimitterent in libertatem mancipia, justitiam colerent et administrarent, ad sacerdotum pedes se abjicerent, pauperes et desolatos alerent ac defenderent, adeoque impleretur, quod hinc futurum prædixit Isaias, c. XI. *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et ovis, et leo simul pascentur, etc.* h. e. potentes et feroces mansuescent, et patientur juxta se vivere pauperes et humiles summa concordia. Denique pacificavit etiam conscientias, dum per absolutionem sacerdotalem eos expedit a peccatorum sarcinis, et gratiæ restituit; quod expe riuntur omnes, qui rite confessi et absoluti sunt.

Hæc sunt nomina, hæ functiones Salvatoris nostri, denuntiata nobis vocabulo *Nazaræi*; floris scilicet illius, de quo Isaias, c. XI. vaticinatus est: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*: Christus de Maria, ut exponit S. Hieronymus cum aliis. Odorem hujus floris senserunt imprimis pastores, et agnoverunt eum *admirabilem*, ubi *cognoverunt de verbo hoc*; præcones quoque ejus facti in admirationem traxerunt suos auditores. Senserunt deinde magi, et fragrantia ejus perfusi, agnoverunt *consiliarium*, a quo in somnis edocti, repudiata Herodis via et nequitia, sprete etiam et proculcatis idolis; *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, per viam veræ fidei, et christianæ pietatis in patriam suam celestem. Sensit etiam Simeon, et agnovit Deum, sua morte et passione nos ad gloriam præcessurum, et mox ipse quoque petit dimitti et mori in pace. Sensit Anna prophetissa, et agnovit *fortem*, sese corroborantem ad servendum Deo in grandæva sua ætate, ad Deum non laudandum modo sed et aliis prædicandum, eorumque animos in fide confortandos. Senserunt innocentes pro Christo occisi, et agnoverunt eum *patrem futuri sæculi*, a quo et per quem assumpti sunt ad celestem hæreditatem, velut a patre filii. Senserunt denique *Ægyptii*, ad quos confugit, et agnoverunt *principem pacis*, dum prostratis undique idolis jugum oneris et sceptrum exactoris, dæmonis, ab eis

exceuteret, adeoque ab hoste pessimo redemptos, in pacis ac lucis regione ipsos constitueret, quod et nobis omnibus apprecor.

## CONCIO II.

CHRISTIANI NAZARENI, HOC EST, FLORIDI.

I. Quia in cælo conversationem suam habent. — II. Quia nitent moribus candidis. — III. Quia bonæ famæ odorem spargunt. — IV. Quia melleum saporem fratribus communicant. — V. Quia mansueti et patientes sunt. — VI. Quia suaviter moriuntur.

## THEMA.

Dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. Matth. II.

Contingit interdum, auditores, ut quis proprio ense ab alio vulneretur, aut etiam mactetur. Certe id Goliatho contigit, qui proprio gladio a Davide decollatus est; quin etiam gladius ille funestus in necem Davidis paratus, postea a Davide Deo sacratus est, ac deinde ad hostium cædem adhibitus. Ita contigit Judæis. Volebant illi Christi nomen deprimere et exosum reddere, appellando eum *Nazarenum*, quasi vili loco natum. Sed hoc ipsum Christo cessit ad magnam ejus gloriam, quoniam prophetæ prædixerunt eum sic appellandum, adeoque fore Messiam, et florem illum prædictum ab Isaiâ, cap. XI. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Sic suo gladio Judæi jugulati sunt, et nomen quod ipsi reddere contemptum cupiebant, sanctum et honorabile factum est. Idem contingit eis cum Christianis, quod etiam per contemptum appellarunt *Nazarenos*, uti Tertullus S. Pauli accusator, Act. XXIV. Sed nos isto nomine potius gloriamur; tum quia Dominus noster ita appellatus fuit: tum quia pulcherrimam significationem habet; significat enim floridum ac demonstrat Christianorum gloriam, qui revera floridi sunt: ut videbimus.

I. Flores arborum non in terra ut flores alii, sed in alto vivunt: ita conversatio Christianorum in cælis est, ad Phil. III. Mundi sectatores, inimici crucis Christi, terrena sapiunt, et quaerunt, uti ibidem Paulus præmittit; adeoque flores terræ affixi et e terra nati sunt: at non ita Christiani, qui omnem suam spem reponunt in cælo, ibique velut in sperato termino mentem et cogitationem suam figunt. Qui in aliquo convivio cum dilecto amico dulciter conversatur, cæteros convivas negligit, nec ad cibum et potum multum attendit; quia corpore cum aliis, sed mente solum

I.

cum uno est. Ita Christiani etsi in hac mundi mensa et convivio sedent, mente tamen in cælo cum Christo conversantur. Græcum vocabulum, quod interpres noster vertit *conversatio*, civile studium significat, quasi diceret S. Paulus: Cives cæli sumus, non rustici. Tertull. in l. de corona militis, verba apostoli prædicta sic legit: *Municipatus noster in cælo est.* Bene etiam hoc indicat Christianos non debere sibi in mundo quaerere quasi stabilia bona, quia hic peregrini sunt et exules. Sicut nemo in remota civitate, ubi municipatum suum non habet emit sibi domos aut hortos et similia; sed ibi, ubi civis est, emit sibi bona stabilia, fundos, aedes. Unde addit ibi Tertullianus: *Dominus Jerusalem ingredi voluit, nec asinum habuit privatum*, id est, non proprium, sed communem: ut scilicet doceret, nihil nobis tamquam proprium in terra possidendum: natus est in alieno stabulo, sepultus in alieno sepulchro, etc.

II. Candorem habent eximium ac plane niveum, sicque oculos recreant. Ita Christiani nitere debent primo, candore puritatis et conscientie bonæ juxta monitum Eccles. c. IX. *Omni tempore sint vestimenta candida*, in quem locum scribit Cyrillus Alexandr. l. XIV. de adorat. in spiritu: « Puto et quidem recte, nunquam virum sapientissimum Salomonem ad has nugas perventurum fuisse, ut suaderet nobis vestium splendore pueriliter oblectari, sed vitæ splendide vestem velut ablutam et ab omnibus sordibus liberam comparat: sic præcipi nobis ut induamus Dominum Jesum Christum et novum hominem exuto veteri. » Vult ergo ut candorem puritatis in baptismo acceptum conservemus: in cujus rei indicium et memoriale veste alba induti fuimus et calceis albis, ut explicat eum locum alter Cyrillus Jerosolymitanus, catech. IV. Ea vestis per octiduum ferebatur et fertur adhuc ab adultis baptizatis, ut moneamur tota vita illam conservare. Octava enim dies, quia integram septimanam claudit et novam inchoat, totum vitæ nostræ decursum indicat. Erat hoc puritatis decus primorum maxime Christianorum, quibus varia quidem scelera affingebantur ab ethnicis, sed probari non poterant. Unde de S. Blandina dum tota die varie exerciaretur, ut conficta in Christianos scelera fateretur, respondit: *Christiana sum, et nihil apud nos admittitur sceleris*, Sur. in actis, 2. junii. Possunt autem censeris semper candida vestimenta gerere etiam ii, qui per crebram penitentiam se lavant a quotidianis peccatis, et a majoribus sibi cavent; ac si in ea incidere, mox se abluerent, ut docet Philo Carpathius, in Cantica.

16

At qui hoc non faciunt, similes sunt Nazaræis in captivitate per famem denigratis, quos lamentatur Jerem. Thr. IV. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, etc. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.* Abjecta enim gratiæ veste in dæmonis captivitate degunt, ubi atro ejus colore denigrantur ut carbones.

Secundo, candore sinceritatis. Candor enim excedens ut florum aut nivis, etiam in tenebris splendet et abscondere se nequit. Hinc equi albi et columbæ candidæ longius cæteris videntur. Sic ergo Christiani ab omni dolo, fictione, mendacio et hypocrisi abhorrerere debent. S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, cum omnis doli et fictionis expertus esset, putabat omnes sibi similes; domestici tamen ejus sæpe ipsi imponebant, suamque bursam ex domini bonis perfide augebant. Qua de re cum a Balduino aliisque fidelibus suis moneretur, nimicque simplicitatis argueretur, respondebat: « Quid est hoc? Nonne Christiani sunt? Et si Christiani, num alicujus commodi causa vellent contra fidem suam scienter mentiri? Nihil est. » Cumque illi dicerent, ipsos ei similes non esse: « Esto, inquit, malo tamen decipi quam credere sinistrum aliquid de ipsis quod necdum vere probatum est. » Ita Edinerus, in ejus vita, 21. apr. apud Sur. Filii ni degeneres sint, parentem sequi debent. Christus pater noster lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ. Et vos lux estis in Domino, ut filii lucis ambulat, ait Paulus ad Eph. V.

III. Odorem quoque gratum habent: sicque odoratum etiam recreant. Christiani quoque odorem bonæ famæ et bonorum exemplorum spargere de se debent, quod videre erat in primis Christianis, teste apost. II. Corint. II. dicente: *Deo gratias qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt: et II. Cor. VIII. Providemus bona non solum coram Deo sed etiam coram hominibus.* Ea propter illos admirati sunt gentiles et ad fidem amplectendam vehementer incitati, ut imprimis Justinus philosophus, qui cum eos omni culpa vacuos et innocentes summo gaudio subire martyria, imo ambire vidit, cogitavit fieri non posse, ut vitiis et voluptatibus addicti sint, apud Sur. 31. apr. Pacomius etiam miles gentilis sub Constantino M. visa eorum liberalitate, quam maxima charitate exhibuerunt et ipsi ei aliis gentilibus, ad fidem attractus fuit. Testatur etiam ipse Julianus imperator apostata et lamentatur in epistola ad Arsacium idolorum pontificem, (apud Baron. an. 362.) causam incrementi Christianorum esse

ac fuisse *benignitatem in peregrinos, curam in mortuis sepeliendis, sanctimoniam vitæ*; eaque a suis imitanda præcepit, ut gentilismus promoveatur. Nimirum sicut columbæ cicures unguento quodam odorifero delibutæ alias columbas odore suo pelliciunt et ad columbaria sua trahunt, teste S. Basilio, ep. CLXXV. ita pii Christiani suis virtutum exemplis alios ad imitandum alliciunt. Unde miratur eos Isai. c. VI. *Qui sunt isti quasi columbæ ad fenestras suas? Quam multi sequerentur bonorum operum studium, si alii, primates præsertim, præirent exemplo! Sed eo jam eventum, vel pudeat aliquos præferre faciem virtutis ac lucis.* Corpus quidem et vestes multi imbuunt odoribus, ut odore alios permulceant, et in eo gloriam captent: animam vero virtutum odore imbuere pudori sibi ducunt, o cæcitas!

IV. Saporem etiam et cibum gratissimum dant apibus, rorem scilicet dulcem ac melleum. Ita et Christianorum est melleum charitatis et misericordiæ rorem suis potissimum fratribus christianis communicare. Hoc enim est mandatum illud novum, quod Christus tam impense commendavit, ut diligamus invicem; non quomodocumque, velut proximos tantum, sed velut fratres. Id quod primis Christianis profunde inculptum in cor erat, adeo ut omnibus hospitalitatem exhiberent, abeuntis comitarentur, captivos suis epulis ubertim foverent, ac cum possint multis pecuniis redimerent. Id quod mirabantur gentiles, quod videlicet persuasi a Christo suo reputent se omnes esse fratres uterinos. Dicebant enim: *Vide ut Christiani se invicem amant! Et pro alterutro mori sunt parati: ut ex uno patre et matre nati videantur quos nec natio, nec fortuna, nec lingua dividit.* Refert antiquissimus Tertullianus, in apolog. c. XXXIX. Patuit idem sub S. Dionysio episc. Alexandriæ, ubi pestis tempore, Christiani suis ægrotis summa charitate adstiterunt et eorum causa vitam prodegerunt; eum e contra gentiles ibidem suos infectos etiam amicissimos ædibus extruserint, in plateas semivivos projecerint, et canibus lanianda reliquerint eorum cadavera, ut in vita ejus Eusebius, Sur. 8. april. Certe imperator Julianus in epist. supra cit. ad Arsacium scribit: « Turpe profecto est, cum nemo ex Judæis mendicet et impii Galilæi non suos modo sed nostros quoque alant, ut nostri auxilio, quod a nobis ferri ipsi debeat, destitui videantur: » jussitque Arsacium passim erigere xenodochia in morem Christianorum. Denique tanta erat charitas Christianorum erga suos pauperes, peregrinos et captivos ut templorum fores stiparentur pauperibus, carceres implerentur epulis, et gentilis quidam im-

postor se christianum fingeret, quin etiam se captivari se faceret, ut Christianorum eleemosynis ditaretur, *de redemptis etrum pecuniis suffarcinatus argento abiret*, Baron. an. 75. Hos majores nostros imitentur Christiani moderni, cogitent se flores esse et rorem e cælo acceperisse, hilariter proinde communicent apiculis pauperibus: qui profecto ipsis conficient inde favum mellis in cælo. Ad hæc sicut flori et fructui nihil deperit, nisi apes inde rorem exsugant, ita nemo ex eleemosyna facile depauperabitur. Certe S. Medardus adhuc puer, cum equos custodiens, unum indigenti dedisset ex commiseratione, postea cum equus unus ab eo requireretur, recensens omnes equos, nullum de numero desideratum vidit. In vita, Sur. 8. junii.

V. Lenitate et mollitie sua tactui cedunt, nihil habentes asperi aut duri. Unde nimis delicatus fuit Smindyres ille Sibaryta, qui in florum foliis jacens de duritie lecti conquestus fuit, apud Elian. lib. IX. var. c. XXIV. Christianorum est mansuetudine et patientia superare injurias et pressuras omnes, quemadmodum a Christo edocti sumus, id quod objecit Christianis acerbus irrisor Julianus, quando ei conquesti sunt, quod ab ejus officialibus vexarentur: *Vestrum est pati, aiebat, cum afflictamini. Hoc enim est Dei vestri mandatum*, apud Soeratem, lib. III. hist. eccl. Maligne quidem, sed vere, quia Christus dixit: *Beati eritis cum oderint vos homines, etc. Gaudete in illa die, etc.* Luc. VI. Unde Philo Carpathius, in c. I. Cant. ait: *Benefacere et male pati, Christianorum est.* Demonstrant hoc infiniti martyres, qui suis persecutoribus bona pro malis retribuere, nunquam autem se vindicare: quod hoc christianum non esset. Quare S. Fulgentius Ruspensis episcop. ab Ariano presbytero flagellatus et ad extremum decalvatus, cum quis eam injuriam ulcisci vellet, dixit: *Non licet in hoc sæculo vindictam querere Christiano. Novit Deus quomodo servorum defendat injurias*, Sur. 1. jan. Non intelligunt hoc sectatores mundi, qui dedecus esse reputant non se vindicare, nec ferre patienter injurias norunt. Audi Senecam, lib. de constantia, l. II. c. XVII. *In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium Nasonis generum cum illum Corbula struthiocamelum depilatum dixerisset. At Fulgentius*

noster non appellari depilatus, sed depilari a quo animo tulit. Et certe quis Christianus struthiocameli stomachum *Ein Straussens-Magen* habere deberet, quo nimirum etiam ferrum et quas-cumque injurias concoquere posset.

VI. Quando ex arbore decidunt, volando suavissime in terram se deponunt, utpote nullo pondere graves. Ita et Christiani ex hac vita discedunt placide, et quasi suaviter volando cadunt, ad cælum enim evolant, si innocentes aut expiati sint. Unde a Christo et apostolis dormire et obdormire dicuntur, ut S. Stephanus, qui etiam inter lapides *obdormivit in Domino*. In quæ verba Gregor. Nyssenus, orat. de S. Stephano ait: « Velut teneris floribus vel rore quodam levi circumfusis in dulcem simul ac beatum somnum delapsus est. » Refert S. Damascenus, in vita Josaphat, duos monachos Abennir regi mortem eis minitanti, respondisse intrepide: « Mortem metuunt ac refugiunt, qui fluxis rebus inhærent, et in altera vita nihil sperant; at nos qui terrenis valediximus et futurorum desiderio tenemur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur. » Non dissimiliter respondit Henrico VIII. Angliæ regi cardinalis Reginaldus Polus, cum audisset sibi a rege insidias magnis impensis paratas. Dicebat enim mirari se, quod rex tanta cura et impensa mortem ipsius expecteret, quam ipsemet optaret, proinde regem *nil aliud agere, quam si quis dormitum ire cupienti vestes ipsas exuere velit*, Sanderus, in schism. Angliæ.

Vidimus aliquatenus quid sit esse Nazarenum et quam deceat esse tales omnes Christianos. Superest ut hoc nomen et amemus et cordi nostro inseribamus. Scimus ex vita S. Edmundi, episcopi Cantuariensis, Christum ipsi adhuc puero apparuisse gerentem in fronte sua scriptum: *Jesus Nazarenus, eumque monuisse ut hoc nomen cordi suo imprimeret, singulis quoque noctibus in fronte pingeret, fore id antidotum contra mortem subitanam. Utinam et nos nomen Nazareni nobis pari modo imprimeremus, et vere flores ac floria essemus! Certe a mala et improvisa morte securi existeremus, adeoque hoc nomine velut gladio Goliathum illum stygium nullo negotio mactaremus.*